



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 162. Vtrum ius debeat specialiter diuidi in paternum, dominatium, & coniugale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

nominiſus explicatis, & diſtinguit inter ſe omnia, quæ iuxta communem modum loquendi dicuntur eſſe de lege naturali, ac de lege gentium. Primò eſt conformis nominiſus explicatis. Nam congruè lex naturalis vocatur, quæ obligat proximè, poſitis puris naturalibus; lex gentium dicitur, quæ proximè obligat ſolum poſt introductas conſuetudines gentium. Secundo diſtinguit inter ſe omnia, quæ iuxta communem modum loquendi dicuntur eſſe de iure, ſeu lege naturali, ac de iure, ſeu lege gentium. Communiter enim dicitur omnia præcepta decalogi eſſe de iure, ſeu lege naturali; præcepta verò non violandi immunitates legatorum, non mutandi terminos poſſeſſionum, non adulterandi pecunias &c. eſſe de iure, ſeu lege gentium, & non ex alia ratione, niſi quia eorum proxima obligatio ſupponit conſuetudines gentium.

14. Inferitur primò ſolutio quæſtionis in titulo propoſitæ, in qua quaeritur, vtrum ius gentium diſtinguatur totaliter à iure naturali. Dicendum, quod diſtinguitur totaliter à iure naturali ſpecificè ſumpto, ſed non diſtinguitur totaliter à iure naturali genericè ſumpto, cum in illo magna ex parte includatur; ſiquidem ius gentium continet multa præcepta naturalia genericè, cum ſit de rebus non indifferentibus, ſed quæ exigunt prohiberi, vel præcipi.

15. Inferitur ſecundo ius naturale genericè, non ſolum in quantum ſignificat legem, ſed etiam in quantum ſignificat ius adiuuum, atque paſſiuum, diuidi in ius naturale ſpecificè, & in ius gentium. Probatum: nam ius, quod habet vnusquique ad vim vi repellendam eſt commune omnibus animalibus, cum omnia animalia naturali inſtinctu cognoscant vim eſſe repellendam: ergo eſt naturale ſpecificè iuxta tertiam ſententiam. E conuerſo ius, vt ſeruetur æqualitas in commutationibus, & contractibus, eſt proprium gentium humanarum: ergo eſt ius gentium. Rurſus ius, quod habet vnusquique, ne lædatur in vita, in fama, & in membris corporis, ne impediatur à mouendis ſuis membris &c. conuenit proximè hominibus ab ipſa conditione naturæ antecederet ad conſuetudines introductas à gentibus: ergo eſt ius naturale ſpecificè iuxta quartam ſententiam. At iura, quæ habet vnusquique ad hoc, vt ſeruetur æqualitas in contractibus emptionis, venditionis &c. obligant proximè ſolum, poſita conſuetudine à gentibus introducta faciendi tales contractus: ergo iuxta quartam opinionem ſunt de iure gentium. Plura, quæ ſunt de iure gentium enumerat Iuriſconſultus ff. de iuſtitia, & iure, dicens. *Ex hoc iure gentium introducta ſunt bella, diſcrete gentes, regna condita, dominia diſtineta, agris termini poſſi, adificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes conſti-*

tuta, exceptis quibusdam, quæ à iure civili introducta ſunt.

16. Inferitur tertio, quid ſit ius civile, & quo pacto ſe habeat ad ius gentium. Dicendum, quod ſicut ius naturale, & ius gentium eſt, quod eſt commune omnibus gentibus, ſic ius civile eſt, quod non eſt commune omnibus gentibus, ſed eſt proprium alicuius tantum gentis, vel ciuitatis. Hinc ſequitur ius civile totaliter diſtingui à iure naturali genericè, & eſſe totaliter poſitiuum. Ratio eſt, quia ius naturale genericè obligat vbique, & eſt commune omnibus gentibus; ius civile non obligat vbique, nec eſt commune omnibus gentibus; ergo &c. Licet autem omnes gentes, & ciuitates habeant ſingulæ ſuum ius civile, tamen ius civile per antonomiaſtam vocatur ius commune populi Romani, vt dicitur inſtitutis de iure naturali, gentium, & civili §. ſed ius quidem.

17. Inferitur quarto ius primo poſſe diuidi in naturale, & poſitiuum, diuinum, & humanum. Ius naturale poſſe diuidi in naturale ſpecificè, & in ius gentium; ius poſitiuum humanum poſſe diuidi in ius gentium (ſed enim aliquid ius gentium poſitiuum) in ius civile, & ius canonicum. Eſt autem ius canonicum, quod Eccleſia ſtatuit in ordine ad finem ſupernaturalem.

18. Ad arguendum in contrarium patet ex dictis. Ius enim diuiditur in naturale ſpecificè, gentium, & civile; ſed ius gentium totaliter diſtinguitur à iure naturali ſpecificè, licet non totaliter diſtinguatur à iure naturali genericè: ergo &c.

QVÆSTIO CLXII.

Vtrum ius debeat ſpecialiter diuidi in paternum, dominatum, & coniugale?

S. Th. quæſt. 57. art. 4. 2. 2.

1. Videtur, quod non: primo quia ſi ius ſpecialiter diuideretur in paternum, quod intercedit inter patrem, & filium; dominatum, quod intercedit inter dominum, & ſeruum; & coniugale, quod intercedit inter maritum, & vxorem, deberet etiam ſpecialiter diuidi in militare, quod intercedit inter milites, ſacerdotale, quod intercedit inter ſacerdotes, & in plura alia, quæ intercedunt inter varias conditiones hominum; ſed non diuiditur ſpecialiter in hæc; ergo &c.

2. Secundo eatenus ius deberet ſpecialiter diuidi in paternum, dominatum, & coniugale, quatenus inter patrem, & filium, dominum, & ſeruum, maritum, & vxorem, non daretur ius, & iuſtitia ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid; ſed inter patrem, & filium datur ius, & iuſtitia; ergo &c. Probatum non.

nor; nam inter eos, inter quos potest dari iniustum simpliciter, potest dari iustum simpliciter; sed inter patrem, & filium potest dari iniustum simpliciter; ideoque si pater filium occidat, aut mutilet, facit actionem simpliciter iniustam, non minus, sed magis, quam si occidat, aut mutilet extraneum; & proportionaliter filius si occidat, aut mutilet patrem, seruus si occidat, aut mutilet dominum, vxor si occidat, aut mutilet maritum, vel è conuerso, faciunt actiones simpliciter iniustissimas; ergo &c.

3. Tertio licet inter Patrem, & filium, quatenus pater, & filius sunt, non daretur iustum simpliciter, tamen inter eos, quatenus homines sunt, datur iustum simpliciter, & ex proportionali ratione datur iustum simpliciter inter dominum, & seruum, maritum, & vxorem, quatenus homines sunt; ergo &c.

4. Respondeo cum Aristotele 5. ethic. cap. 6. quem sequuntur Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 57. art. 4. & Caietanus in Commentario, nec non Sotus lib. 3. de iustitia, & iure, quæst. 1. art. 4. Molina tom. 1. tract. 1. disp. 7. alijque communiter: inter patrem, & filium, dominum, & seruum, maritum, & vxorem non dari ius, & iustum simpliciter, sed solum ius, & iustum secundum quid, & cum addito hoc est ius, & iustum paternum, dominatum, & coniugale.

Probat: nam hæc est differentia inter ius, ac debitum, quod debitum non solum est vnius ad alterum, sed etiam eiusdem ad se ipsum; at ius non est eiusdem ad se ipsum, sed solum vnius ad alterum; ex. gra. licet ego habeam debitum non occidendi, ac non mutilandi me ipsum, non habeo ius, vt non occidat, aut mutilet à me ipso, sed solum habeo ius, vt non occidat, aut mutilet ab altero: ergo ius simpliciter datur solum aduersus omnino, & simpliciter alterum; aduersus alterum non omnino, sed solum secundum quid, datur solum ius secundum quid: sed persona, quæ est aliquid alterius, & ad eum comparatur, vt pars, vel instrumentum, non est omnino, & simpliciter altera; ergo nemo habet ius simpliciter aduersus personam, quæ est aliquid ipsius, & ad ipsum comparatur vt pars, vel in instrumentum, sed aduersus illam habet solum ius secundum quid, proportionale iuri secundum quid, quod homo habet aduersus suas partes, & sua organa, atque instrumenta, puta aduersus manum, oculum &c. sed filius est aliquid patris, quia quodammodo est pars patris, vt dicitur 8. Ethic. cap. 12. seruus est aliquid domini, quia est instrumentum domini, vt dicitur 1. Polit. cap. 3. & 4. vxor est aliquid viri, quia comparatur ad virum, tanquam proprium corpus, vt dicit Apostolus ad Ephes. 5. ergo inter patrem, & filium, dominum, & seruum, maritum, & vxorem, non datur ius, & iustum simpliciter, sed solum secundum quid, proportionale iuri, quod homo habet in suas partes, & in sua membra, &

organa; ideoque ius patris in filium est veluti ius totius in partem, quæ non omnino distinguitur à toto; ius filij in patrem est veluti ius partis in totum, quod non omnino distinguitur à sua parte.

5. Infertur primò inter patrem, filium &c. non dari iustum, vel iustitiam simpliciter, sed solum secundum quid. Ratio est, quia iustitia, & iniustitia simpliciter datur solum inter personas, inter quas datur ius, & iustum simpliciter.

6. Infertur secundo, quod licet inter patrem, & filium, maritum, & vxorem &c. non datur ius simpliciter, tamen datur debitum simpliciter. Ratio est, quia sicut ius est ad alterum, & non ad se ipsum, sic iustum simpliciter. E conuerso sicut debitum non solum est ad alterum, sed etiam ad se ipsum, sic debitum simpliciter non solum est ad alterum simpliciter, sed etiam ad alterum secundum quid.

7. Infertur tertio debitum iustitiæ secundum quid, quæ datur inter patrem, & filium, inter maritum, & vxorem, non solum esse debitum simpliciter, sed etiam quoad multa, esse debitum strictius debito iustitiæ simpliciter dictæ, quæ datur inter personas extraneas: ex. gra. licet Petrus obligetur debito iustitiæ simpliciter dictæ ad non occidendum, vel mutilandum extraneum, obligetur autem solum debito iustitiæ secundum quid ad non occidendum, vel mutilandum filium, aut vxorem, tamen debito strictiori obligatur ad non occidendum, aut mutilandum filium, vel vxorem, quam ad non occidendum, vel mutilandum extraneum, ideoque grauius peccat, occidendo, vel mutilando filium, aut vxorem, quam occidendo, aut mutilando extraneum. Ratio est, quia vnusquisque strictiori debito obligatur ad non occidendum, vel mutilandum se ipsum, quam ad non occidendum, & mutilandum alterum, licet respectu alterius habeat obligationem iustitiæ, respectu sui non habeat obligationem iustitiæ, quæ obligatio est ad alterum; ergo proportionaliter strictiori debito obligatur ad non occidendum, & mutilandum filium, & vxorem, qui quodammodo sunt ipsemet occidens, quam ad non occidendum, vel mutilandum extraneum, qui sit omnino alter ab occidente, licet ad non occidendum, vel mutilandum extraneum obligetur debito iustitiæ simpliciter, ad non occidendum, vel mutilandum filium, aut vxorem obligetur solum debito iustitiæ secundum quid.

8. Addo primo debitum non occidendi filium, & vxorem propter hoc ipsum, quia est debitum iustitiæ secundum quid, esse strictius debito iustitiæ simpliciter. Ideo enim est debitum iustitiæ secundum quid, quia est debitum quodammodo ad se ipsum, sed propter hoc ipsum est debitum strictius: ergo &c.

9. Addo secundo non solum esse debitum strictius, sed etiam esse debitum specie diuersum

sum, proportionaliter, ac debitum non occidendi se ipsum est debitum specie diuersum à debito non occidendi alterum.

10. Potest quæri, vtrum ius secundum quid patris aduersus filium, mariti aduersus vxorem, ac domini aduersus seruum, sit ius proprietatis, vel iurisdictionis?

Respondeo, quod est partim proprietatis, partim iurisdictionis. Ratio est, quia matrimonium est contractus, quo maritus obligat corpus suum vxori in fauorem vxoris, & vxor obligat corpus suum marito in fauorem mariti: ergo vir, & vxor habent mutuum, & æquale ius in fauorem proprium, adeoque proprietatis ad obligandum alterum ad ea, quæ sunt propria matrimonij, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Rursus in omni locietate ad vitandam confusionem necesse est, vt aliquis sit, qui præsit; sed quod naturaliter est melius, & præstantius, naturaliter debet præesse, eo pacto, quo anima naturaliter præest corpori: vir autem naturaliter est melior, & præstantior muliere: ergo in societate matrimoniali vir debet præesse, mulier debet parere, & subesse, ideoque Gen. 3. à Deo dictum est mulieri, *sub viri potestate eris*, & Apostolus ad Ephes. 5. dixit: *vir est caput mulieris: ergo vir habet ius quoddam iurisdictionis, quo potest obligare vxorem in bonum ipsius vxoris, vel in bonum familiæ.* Præterea contractus matrimonij fit, non solum in bonum, & fauorem coniugum, sed etiam in bonum, & fauorem filiorum, vt nimirum nascantur, & educantur: ergo parentes habent ius quoddam proprietatis ad aliqua à filiis exigenda in fauorem ipsorum parentum, puta ad exigenda alimenta, cum illis indigent &c. & habent ius quoddam iurisdictionis ad præcipiendum filiis in bonum ipsorum filiorum, & totius familiæ. Demum dominus potest præcipere seruo, non solum in bonum domini, sed etiam in bonum serui, adeoque habet ius aduersus seruum, non solum proprietatis, sed etiam cuiusdam iurisdictionis, licet vtrumque sit ius, non simpliciter, sed secundum quid, quia est ius aduersus non omnino alterum.

11. Ad 1. Respondeo primo, negando maiorem. Eatenus enim ius debet specialiter diuidi in paternum, coniugale, & dominatum, quatenus hæc sunt iura solum secundum quid; sed ius militare, sacerdotale &c. sunt iura simpliciter, cum sint aduersus alterum; ergo &c. Addo ius diuidi etiam in militare, sacerdotale &c. licet istæ diuisiones sint potius materiales, quàm formales, cū purè defumantur à diuersis conditionibus personarum, inter quas datur ius, & iustū simpliciter.

12. Ad 2. distinguo maiorem: eatenus ius deberet specialiter diuidi in paternum, dominatum, & coniugale, quatenus inter patrem, & filium, dominum, & seruum,

maritum, & vxorem, non daretur ius, & iustum simpliciter, sed solum secundum quid ex parte debiti, nego: ex parte alteritatis, concedo: distinguo eodem pacto maiorem; & nego consequentiam. Ius includit duo; primo vt fundet debitum, secundo vt sit ad alterum. Inter patrem, & filium, maritum, & vxorem &c. datur ius simpliciter ex parte debiti cum fundet debitum simpliciter, imò sæpè fundet debitum strictius debito, quod fundat ius inter extraneos, vt dictum est in ratione secunda, & tertia, sed datur ius secundum quid ex parte alteritatis, cum sit ad alterum non omnino. Proportionaliter inter patrem, & filium, dominum, & seruum datur iniustum simpliciter ex parte violationis debiti, cum violetur debitum simpliciter, ac sæpè strictius debito, quod est inter extraneos, sed datur iniustum secundum quid ex parte alteritatis. Pater igitur, si filium occidat, vel mutilet facit iniustum secundum quid ex parte alteritatis, quia occidit personam non omnino alteram ab ipso patre; sed propter hoc ipsum facit iniustum simpliciter ex parte violationis debiti: siquidem cum habeat debitum strictius aduersus personam non omnino distinctam à se, violat debitum strictius, & grauius peccat, & contrahit malitiam moralem specie diuersam à malitia iniustitiæ simpliciter, ac similiorem malitiæ, quam contrahit, qui mutilat, aut occidit se ipsum, quæ malitiæ est suprema in genere homicidij, cum secundum locum teneat patricidium, quo filius occidit parentem, vel parens filium, tertium locum teneat homicidium personæ extraneæ. Explicat hoc Caietanus, & ex eo Sozus, & Molina locis supra citatis exemplo Seleuci Iocrenium Principis, qui cum filio propter quoddam delictum eruendi essent oculi, poenam ita partitus est, vt alterum oculum sibi, alterum filio euerit, quasi pater, & filius essent moraliter vna persona, & sic eruendo oculum Patri, puniretur ipsemet filius; ergo ex proportionali ratione pater dum occidit, aut mutilat filium, quodam modo occidit, ac mutilat se ipsum, &c. Sic contrahit malitiam specie diuersam, ac mediam inter malitiam homicidij, quo occiditur extraneus, & homicidij, quo aliquis occidit se ipsum.

13. Dices: ergo vxor committens adulterium non est simpliciter, sed secundum quid iniusta in virum suum.

Respondeo eadem distinctione: non est simpliciter, sed solum secundum quid iniusta ex parte violationis debiti, nego: ex parte alteritatis, & propter hoc ipsum grauius peccat, & contrahit malitiam specialem, concedo. Propter hoc ipsum, quod vxor committens adulterium peccat quodammodo contra se ipsam, & contra corpus suum, grauius peccat, & violat debitum strictius. Hinc sequitur, quod dum coniugatus committit adulterium cum soluta, licet vterque sit

fit adulter, tamen adulterium conjugati in-
ratione iniustitiae specie differt, & est pecca-
tum gravius adulterio soluta. Ratio est, quia
adulterium soluta est solum iniustum contra
personam extraneam, & omnino alteram;
at conjugatus est iniustus contra uxorem,
ac proinde contra personam non perfecte
alteram, ideoque licet sit iniustus secundum
quid, propter hoc ipsum gravius peccat pec-
cato iniustitiae. Hinc ulterius inferitur, quod
conjugatus, qui commisit adulterium, non
satis exprimit speciem sui peccati, si dicat
commisi adulterium, sed debet in confessione
addere se esse conjugatum.

14. Ad 3. In argumento proponitur quæ-
stio, utrum inter patrem, & filium, mari-
tum, & uxorem, dominum, & servum, in
quantum homines sunt, detur ius, & iustitia,
ac iniustitia simpliciter. Afirmant Scotus,
& Molina locis citatis, quos alij sequuntur.
Negat Caietanus loco itidem citato, hoc est
in comment. art. 4. quæst. 57. 2. 2. & hæc se-
cunda sententia mihi videtur probabilior.
Ratio est, quia ad ius, & iustitiam, & iniusti-
tiam simpliciter requiritur, ut sit ad alterum
simpliciter, qui habeat negationem, non au-
tem meram præcisionem identitatis moralis
cum habente ius: sed Pater, & filius, mari-
tus, & uxor, dominus, & servus, in quan-
tum homines sunt, præcindunt quidem ab
identitate morali, sed non habent negatio-
nem talis identitatis: ergo &c. Confirma-
tur: nam pater occidens filium, & filius occi-
dens patrem, propter hoc ipsum, quod occi-
dit personam, cum qua est moraliter idem,
facit iniustitiam secundum quid ex parte
alteritatis, & gravius peccat, & contrahit ma-
liriam parricidij propinquiore malitia ho-
mucidij, quo aliquis occidit se ipsum.

15. Dices: hæc videntur spectare ad quæ-
stionem de nomine.

Respondeo, quod spectant ad quæstio-
nem de re, in quantum dicitur iustitiam, &
iniustitiam, quæ est inter personas, quæ sunt
moraliter idem, propter hoc ipsum specie,
differt a iustitia, & iniustitia, quæ intercedit
inter personas omnino alteras, & non habentes
moralem identitatem. Dum verò hoc
supposito, quæritur, utrum iustitia, & iniu-
stia, quæ est inter personas habentes mora-
lem identitatem, vocari debeat iustitia sim-
pliciter, vel solum secundum quid, est quæ-
stio de nomine. In hac autem quæstione de
nomine loquimur cum Aristotele, S. Tho-
ma, aliisque communiter.

QVÆSTIO CLXIII.

Virum ius proprietatis bene dividatur in ius
ad rem, & ius in re?

1. Videtur non bene dividi. Ius enim
ad rem esset, per quod habenti ius

obligaretur solum persona in ordine ad rem:
ius in re esset, per quod habenti ius obligare-
tur ipsa res; sed repugnat, ut ipsa res irratio-
nales, puta domus, ager &c. obligentur ha-
benti ius, siquidem sola personæ rationales
sunt capaces obligationis moralis: res au-
tem irrationales sunt incapaces cuiuslibet ob-
ligationis moralis: ergo &c.

2. Respondeo, quod cum ius actuum
proprietas semper sit aduersus alterum, &
ad aliquam rem, semper illi correspondet ex
parte personæ, vel rei aliqua obligatio passiva.
Si igitur iuri activo correspondeat obligatio,
qua habenti ius obligetur solum aliqua per-
sona in ordine ad aliquam rem, res autem ip-
sa non obligetur, dicitur ius solum ad rem,
non autem in re. At si obligetur ipsa res ita,
ut ubicumque, & apud quemcumque sit,
debeat deferre suam obligationem, dicitur
ius in re. Ius igitur ad rem definitur potest
*per quod habenti ius obligatur solum persona in
ordine ad rem, res autem ipsa non obligatur.* Ius
in re definitur potest, *per quod habenti ius obliga-
tur ipsa res ita, ut ubicumque, & apud quemcum-
que sit, deferre debeat suam obligationem.*

3. Explicatur exemplis. Aliquis donat,
aut vendit mihi librum, & tradit. Ego ex
donatione, vel venditione, secuta traditione,
acquisivi ad librum non solum ius ad rem,
sed etiam ius in re; ideoque liber ille manet
mihi ita obligatus, ut ubicumque, & apud
quemcumque sit, deferat secum suam obli-
gationem, & ego possim illum mihi vindica-
re. Hinc sequitur, quod si ille, qui mihi li-
brum vendidit, aut donavit, ac tradidit, eun-
dem librum vendat, aut donet alteri, & tra-
dat, secunda venditio, vel donatio sit prorsus
irrita, & inualida, & ego possim librum illum
à secundo emptore repetere, & mihi vindic-
care. E conuerso aliquis vendit, vel donat
mihi librum, sed non tradit. Ego per vendi-
tionem, soluto pretio, si non secuta sit tradi-
tio libri, acquisivi solum ius ad rem, non au-
tem in re, ideoque venditor, vel donator ma-
net quidem mihi obligatus ad dandum librum,
sed liber ipse non manet mihi obligatus, ita ut
ubicumque, vel apud quemcumque sit, de-
beat deferre secum suam obligationem. Hinc
sequitur, quod si ille, qui mihi librum ven-
didit, vel donavit, librum eundem vendat,
vel donet alteri, ac tradat, secundo donatio,
vel venditio sit valida, ac liber non maneat
mihi obligatus, ac proinde ego non possim
librum à secundo emptore, vel donatario re-
petere, sed solum possim agere contra eum,
qui librum mihi vendidit, aut donavit, ut sol-
uat mihi interesse, hoc est tantum, quantum
mei intererat, ut venditio, vel donatio per-
duceretur ad effectum.

4. Inferitur primo, quod quia habenti ius
ad rem, non autem in re, obligatur solum
persona, non autem res ipsa, ideo qui solum
habet ius ad rem, potest directe agere solum
in personam obligatam, adeoque solum ac-
tio-